



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 104. Ob Protestantium pertinaciam suam sectam profitendi libertas
eisdem a Cæsare permissa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

non secundum suffragiorum numerum, **Sæcul. XVI.**
 ut in civilibus causis fieri consuevit, **A.C.1559.**
 decidantur, sed juxta divini Verbi re-
 gulam, ac præscriptum fanciantur. IV.
 Præprimis Tridentinæ Synodi, utpote
 non legitime coactæ acta cuncta, ac de-
 creta rescindantur, & denuo de iis aga-
 tur: hæ conditiones si concederentur,
 se in Synodum consensuros dicebant Pro-
 testantes: si vero id a Pontifice obtineri
 nequeat, ut Religionis pax, & Passavien-
 sis Conventus decreta serventur, se id
 a Cæsare petere inquebant.

§. CIV.

*Ob Protestantium pertinaciam suam
 sectam profitendi libertas eisdem
 a Cæsare permessa.*

Cum Cæsar de concordia omnibus
 hisce iniquis legibus restauranda de-
 speraret, nec unquam Protestantes ad
 saniora consilia reducendos præsentiret,
 eisdem sectam suam profitendi li-
 bertatem indulgere necessarium fore exi-
 stimabat, ne publica Imperii pax denuo
 turbaretur: nihilominus Cæsar nullum
 non movebat lapidem, ut suis precibus
 Pontificem ad novæ Synodi convoca-
 tionem induceret, quamvis Paulus IV.
 ab ejusmodi consiliis longe alienus esset.

Ceterum hoc anno Rogerius, seu
 Roverus Pontanus ex Ordine Fratrum

*Heiss. hist.
 de l'Empir.
 l. 3. hoc ann.
 p. 41.
 Val. And.
 Bib. Angl.*

Sæc. XVI.
A.C. 1559.

Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo suum tractatum, quem alii versionem Caspari Genepei Colonienfis esse autumant, absolvit, eumque inscripsit *veram narrationem rerum ab Anno Christi millesimo quingentesimo usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum nonum in Republica Christiana memorabilium*. In hoc tractatu percelebris hic Scriptor nonnulla mendacia, quibus Sleidanus, alique Authores hæretici suas historias repleverunt, detexit.

§. CV.

Livonienses auxilia a Poloniae Rege petentes.

Tuan. hist.
l. 22. n. 4.

In iisdem Comitibus pariter auditus est Guilielmi Fürstenbergii supremi Ordinis Livonici Magistri Legatus, qui auxilia, opemque contra Moscovitas ab Imperii Ordinibus petebat: cum igitur æqua ejus petitio videretur, centum aureorum millia eidem eroganda decernebantur; verum Livonienses hanc summam, cum illam nimium tenuem, ac potius in conditionis suæ contemptum, quam in necessitatis levamen datam existimarent, acceptare renuebant. Itaque Sigismundum Augustum Poloniae Regem adeunt, atque ut Livoniae defensionem suscipiat, salvo Imperii jure rogant, ita tamen, ut pro belli sumptibus